



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1553. usque ad annum 1557

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1771

VD18 9011857X

§. 67. Campeggii Cardinalis obitus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66565](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66565)

Sæc. XVI. detortis firmare niteretur, nihilominus,
A.C. 1554. cum in sua nequitia contumax persiste-
 ret, die vigesima quinta Junii condem-
 natus, suæque dignitate spoliatus ab
 omni sacra functione removebatur.

§. LXVII.

Compeggii Cardinalis obitus.

Ciacon. vit. Pont. tom. 3. p. 774.
Sigonius de Episc. Bon.
Ughel in Ital. Sacra Aubery vie des Cardin.

Hoc anno Sacrum Purpuratorum Collegium amiserat Alexandrum Campeggium ex Illustri Bononiensium familia die secunda Aprilis Anno Domini millesimo quingentesimo quarto natum. Patrem is habuit Laurentium Campeggium, qui mortua conjuge sua Sacræ militiæ nomen dabat, ac postea purpura decoratus fuit. Porro Alexandri fratres erant Rudolphus, & Joannes Baptista, quorum primus in armis educatus juvenili ætate mortalitatem exiit, alter vero Majoricensis Episcopus electus sermonis facundia, Theologiæ præstantia, ac Græci, latini-que idiomatis peritia sese celeberrimum reddebat, nec minorem laudis famam sibi comparabat Alexander præcipue sua animi lenitate, morumque integritate, necnon liberalitate, ac rara lin-
 quas addiscendi dexteritate. Porro Anno Domini millesimo quingentesimo quadragesimo primo die ultima Julii ex Camera Apostolicæ Clerico ad Bo-
 nonien-

noniensis Episcopi dignitatem euectus, Sæcul. XVI.
A.C. 1554.
 postea a Papa Avenionensis Vice - Lega-
 tus salutabatur, ubi strenue eludebat
 Protestantium molimina, nam hi ex
 reliquiis Valdensium, qui *Lugdunenses*
pauperes vulgo nominabantur, pululan-
 tes Ecclesiæ ditionem invadere, suis-
 que erroribus populum inficere para-
 bant. Conferebat insuper plurimum
 ornandæ Ecclesiæ Metropolitanæ ad
 S. Petronium, suoque patrocínio præ-
 ter Jesuitas, quos in urbem receperat,
 Fratres Capuccinos, & Eremitas S. Au-
 gustini potenter fovebat. Tandem a
 Julio III. Mense Novembri Anno Christi
 millesimo quingentesimo quinquagesimo
 primo Cardinalis Presbyter tit. S. Lu-
 ciæ nominabatur, tertio autem post an-
 no millesimo quingentesimo quinquage-
 simo quarto die vigesima quinta Sep-
 tembris mortalitatem exiit, postquam
 nonnisi quadragesimum octavum æta-
 tis suæ annum expleverat. Delatum
 est Corpus ejus primo ad Ecclesiam S.
 Mariæ Transtyberin: postea vero Bono-
 niam, ubi prope tumulum Laurentii
 Campeggii Patris sui terræ mandatum
 fuit. Adscribitur eidem liber, cui ti-
 tulus, *de auctoritate Romani Pontificis.*